

ecclesia sancti Stephani, et quomodo suam custodiam ad desiderium et ad suam utilitatem conduxerunt, nunc conscribendum similiter est de sancti Donati custodibus. Fuit quidam presbiter monachus nomine Petrus, cui date sunt a presulibus tres partes oblationis ecclesie cum alio beneficio propter illius ecclesie custodiam. Quartam vero sic de ipsa ecclesia quomodo et de alia retinuerunt propria manu, quam etiam suprascriptus Helpertus episcopus dedit canonicis. De Petro monacho genitus est Martinus clericus, qui vice sua adhibuit vicarium. Eo defuncto singillatim constituit alios ut facerent ecclesie necessaria, adiuncto beneficio de ipsa tantum oblatione, sicut et inter eos complacuit. Igitur propter abundantiam oblationis unus ex servis ipsius semper morabatur cum ipsis. De Martino genitus est Cucius. Cuius temporibus quia translatum est sanctum corpus beati Donati et ecclesia ipsius consecrata, factaque ibi sunt plurima miracula meritis beati Donati, que nec valent cuiusquam lingua enumerari, propterea concurrit tota Tuscia cum infinitis oblationibus ad eius impetranda suffragia. Tunc quasi pro custodia omnes servi et mercenarii predicti Cucii altare circumdabant, nec cessabant furare et rapere queque poterant. Similique modo servi vel mercenarii aliorum custodum in altera ecclesia faciebant. Demum cupiditas insatiabilis, que nec in quoquam expleri valet, talia facere pene totum populum circa ecclesiam stantem commovit. In tantum quippe talis malitia rapine crevit, ut multoties illis trahentibus aliquid cum intentione, altare totum discoperiretur. Sic consuetudo mala aucta est adeo, ut rustici et femine ob devotionem ibi venientes depredabantur, et volentes se adiuvare cedebantur, et quod nequius est vulnerabantur, et sanguis ante altare effundebatur. Ministri vero ecclesie circa altare opponebant artificium lignorum cum firmis trabibus, sed semper a raptoribus fuerat exterminatum Cum. Cu.¹⁾), quanta mala non solum ante altare sed per totam ecclesiam et per totum mercatum fuerant tunc temporis perpetrata. Insuper etiam rusticis, qui in suis saccis frumentum cuiuslibet generis deferebant, si non poterant auferre saccos eorum, cultellis scindebant, sicut et adhuc nostris oculis cernimus. Unde etiam et bella sepius orta sunt. Episcopi qui tunc erant venientes in ecclesiam, si quos poterant invenire raptores, flagellis cedebant, illisque recedentibus, peiora fiebant. Nec hoc solum autem, sed qui videbatur adiuvare, ut melius rapere posset ac furare, pro sacco retinendo ad oblationem annualiter tortam cum gallinis et tres vel quattuor solidos, sicut adquisitum sibi videbatur, deferebat suo domino custodi. Cetera altaria que erant infra ecclesiam supradictus Cucius quedam vendidit et quedam donavit laicis. Altare scilicet S. Johannis baptiste dedit Brigulo Aquaticio et Ildibrando filio Petri, sancti

1) So die Hs. Es scheint eine Interjection darin zu stecken oder 'cum Cucis'.